



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo

Heislinger, Anton

Monachii, 1745

Casus XXXVII. De Jure Asyli.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40155



Casus XXXVII.

De Jure Asyli.

Titius miles vulnerato lethaliter comilitone suo ad Monasterium Mendicantium confugit; postulat vero eundem sibi restitui Praefectus militiae, praetendens, transfugam immunitate non gaudere, eò quòd in ipso cæmeterio Parochiali juxta quorundam testium assertionem (contradictibus tamen aliis & negante ipso Titio) vulneraverit. Extraditur itaque submissis militibus Titius, tum quòd ob allatam rationem non gaudeat immunitate, tum quòd Praefectus sanctè Patribus promiserit, Titio neque poenam mortis, neque mutilationis infligendam esse.

Quær. 1. An occidens aliquem in Ecclesia, si confugiat ad aliam Ecclesiam, jure Asyli gaudeat?

Quær. 2. Cuinam jus decidendi hoc dubium competat?

Synopsis.

§. I.

Resolvitur primum
quæsitum.

1. Denegantes Titio immunitatem afferunt pro se cap. fin. *immunitatem. de immunitate Ecclesiarum.*
2. Item Bullam Gregorii XIV. *Cum alias prædecessores nostri.*
3. Quia interpretatio hujus Bullæ ob pluralitatem Ecclesiarum debet esse stricta.
4. Quia Pontifex solùm intendit ex fragilitate humana peccantibus.
5. Quia in concursu boni publici, & privati huic illud est præferendum.
6. Quia

6. Quia faciens injuriam uni particulari Ecclesiæ, offendit omnes.
7. Concedentes immunitatem, volunt pœnam, in Bulla expressam, non esse extendendam ad non expressam.
8. Privilegium immunitatis ob favorem Ecclesiarum, non autem peccantium est concessum.
9. Nec obest frequentia Ecclesiarum.
10. Aut quòd asylum ob humanam fragilitatem concessum fuerit.
11. Hæc immunitas non est favor homicidarum.
12. Nil evincit, quòd una per orbem sit universalis Ecclesia.
13. Non amissam fuisse immunitatem, probatur ex ipso Capitulo finali citato.
14. Item, quia de loco delicti non certò constat, de facto tamen Benedictus XIV. contrarium in sua Bulla statuit.

§. II.

Resolvitur secundum
quæsitum,

*Cuinam jus decidendi hoc dubium
competat?*

15. Jus istud Episcopo competit.
16. Sæculari tamen Judici competere potest aliqualis cognitio per viam facti pro informatione.
17. Soli autem Episcopo competere ex verbis Bullæ Gregorianæ ostenditur.
18. Hinc ante recursum ad Ordinarium confugiens extradi non potuit.
19. Etsi certò immunitate Titius non gauderet, sine consensu Episcopi extradi non potuit.
20. Licet Religiosi, ad quos confugerat, ab Ordinario sint exempti.
21. Neque tacitus Ordinarii, & præsumptus consensus sufficit.
22. Num hoc etiam tenendum, si jurata cautio de immunitate omnis pœnæ sit Ecclesiæ facta.
23. Quid de valore contrariæ consuetudinis in hoc sit tenendum?

Ggg

24. Sub-

24. Subjungitur finalis conclusio.

§. I.

Resolvitur primum

Quæsitum.

An occidens aliquem in Ecclesia, si confugiat in aliam, in hac Asyllo gaudeat.

PRO resolutione primi dubii, an scilicet Titius non fuerit privatus privilegio isto, eò quòd in alterius Ecclesiæ cæmeterio, juxta aliquorum assertum, negantibus tamen aliis, commilitonem occiderit, sciendum in cap. fin. *immunitatem. tit. 49. de immunitate Ecclesiarum.* hæc haberi. *Immunitatem Ecclesiasticam nonnulli impunitatem suorum excessuum per defensionem Ecclesiæ obtinere sperantes, homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, vel cæmeteriis committere non verentur, qui nisi per Ecclesiam, ad quam confugerint, crederent se defendi, nullatenus fuerant commissuri. Cum autem in eo, in quo delinquit, puniri quis debeat, & frustra legis auxilium invocet, qui committit in legem, mandamus, quatenus*

publicè nunciatis, tales non debere gaudere immunitatis privilegio, quo faciunt se indignos.

Præterea Gregorius XIV. anno Domini Millesimo quingentesimo nonagesimo primo, nono Calendas Junii, ut Jura antiquiora roborarèt, atque ad unam formam reduceret, Bullam aliquam edidit de privilegio asyli, quæ incipit: *Cum aliàs nonnulli Prædecessores nostri: in qua Bulla inter alios, quos privilegio immunitatis privatos voluit, etiam illos numerat, qui homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, earumque cæmeteriis committere non verentur.*

Dubitatur itaque, an prædictum superius Capitulum, & verba Bullæ Gregorianæ ita sint intelligenda, & vi illorum, qui occidit alterum in cæmeterio, vel aliqua Ecclesia, privetur solummodo immunitate illius Ecclesiæ, quam suo scelere violavit, vel omnium etiam aliorum templorum? privatum ejusmodi homicidam esse omnium aliorum templorum immunitate, tuentur Covarruvias *lib. 2. var. cap. 20. n. 4.* Decianus *tract. criminal. l. 6. cap. 25. n. 14.* Cardina-

dinalis de Sicca *Theatri Vet. J. de immunitate Disc. 2. n. 6. & discurs. 10. n. 10.* Pyrrhing *in tit. 49. l. 3.* Azor. *p. 2. instit. moral. lib. 9. q. 9.* Sylvest. *in summa V. immunitas.* Bonacina *tom. 2. disp. 3. q. 7. pun. 6. q. 2. n. 1.* citans pro se Farinacium, Ambrosium, Marium, Italiam, Peregrinum, Filliucium.

3 Rationes, quibus hanc suam opinionem probabilem efficiunt, sunt istæ. Prima: Interpretationem Bullæ Gregorianæ ob ipsarum Ecclesiarum frequentiam debere esse strictam, quæ aliàs quàm plurimum sceleratos homines animant ad ejusmodi scelera perpetranda: ergo tenendum, quòd Pontifex ejusmodi occisorem voluerit privatum esse jure Asyli apud omnes etiam cæteras Ecclesias.

4 Secunda: Intentio Legislatorum non fuit, concedendo hanc immunitatem, indulgere hominibus truculentis & sceleratis, sed iis duntaxat, qui humana fragilitate, aut casu aliquo crimen commiserunt.

5 Tertia: in concursu boni publici & privati præferendum est illud: ergo in dubio locorum

immunitas erit potius restringenda, quàm extendenda ob favorem privatum delinquentium.

Quarta: una est per orbem 6 universalis Ecclesia, licet sint multæ particulares: ergo qui facit injuriam uni Ecclesiæ particulari, omnes censetur offendisse: ita Sylvest. *v. immunitas. q. 2. dist. 3. dicto 3.*

7 Istæ sunt rationes, quibus evincere conantur, ob violatam unam Ecclesiam, aut Ecclesiæ cæmeterium non hujus duntaxat, sed omnium etiam aliorum templorum immunitate privatum esse. Responderi tamen ad illas potest, & quidem ad primam: Si interpretatio Bullæ Gregorianæ debet esse strictæ interpretationis, tunc à pœna ibidem expressa non debet illa extendi ad pœnam ibidem non expressam: sed ibidem duntaxat est expressa pœna privans violatorem Ecclesiæ immunitate illius, quam violavit: ergo non debet extendi ad privationem immunitatis omnium aliarum Ecclesiarum. Prob. min. Pontifex voluit illos privatos immunitate, qui homicidia, & mutilationes in ipsis Ecclesiis, & cæ-

Ggg 2

mete-

meteriis committere non verentur, non exprimendo, quòd violans unam, privetur immunitate omnium aliarum Ecclesiarum: ergo solummodo intellexit privationem immunitatis Ecclesiæ violatæ. Prob. conseq. in *sap. finali de immunitate Ecclesiarum*. talis homicida solummodo privatur immunitate violatæ Ecclesiæ: ergo etiam Pontifex hoc voluit, si non expressè addidit contrarium. Prob. conseq. Pontifex profitetur in Bulla, quòd variorum jura, privilegia, & crimina excepta, non gaudentia immunitate, velit in unum compingere: ergo si expressè non utatur terminis derogantibus dispositioni antiquorum jurium, censendus est non voluisse illos mutare: ergo si istud Capitulum finale privat immunitate duntaxat violatæ Ecclesiæ, etiam Bulla Gregoriana privabit, & non alia.

8 Verùm respondebunt Adversarii, velle se dicere, favorem, & gratiam ibidem contentam esse strictæ interpretationis, eò quòd ob multitudinem Ecclesiarum summo opere allicerentur homines ad ejusmodi crimina perpe-

tranda. Sed contrà est: privilegium immunitatis non fuit institutum in gratiam, & favorem delinquentium, sed ipsarum Ecclesiarum, quæ, cùm maneant innocentes, licèt plura scelera similia committantur, non sunt privandæ suò privilegio.

9 Secundò, ob hanc frequentiam Ecclesiarum non minor est istis, ac in illis Deo reverentia, & honor exhibendus: ergo cùm ista immunitas cedat in honorem Ecclesiæ, & illius, cui hæc dicata est; propter multitudinem non amiserunt reverentiam sibi debitam. Dein, etiam si concedatur, abrogatam esse immunitatem cæterarum omnium Ecclesiarum, casu, quo homicidium in una harum commissum fuerit, abrogatio tamen ista minimè serviet ad absterrendos homines ab occisione simpliciter, sed tantùm, facienda in cæmeterio: ex opposito licèt immunitas aliarum permaneat, homicida confugiens ad aliam Ecclesiam, eidem periculo erit expositus, cui subjaceret, si extra cæmeterium occidisset. Pluralitas igitur Ecclesiarum, ne occasione, & allicium homicidiis

diis committendis præbeat, videtur exigere, ut uni tantum, & non omnibus hoc privilegium concedatur, quod, cum negent adversarii, infertur, illorum rationes nihil evincere.

10 Sed neque efficacior videtur esse secunda ratio; concedimus enim ultrò, Pontifices per hoc noluisse favere hominibus truculentis, & sceleratis, cum primario, & principaliter ante oculos habuerint honorare privilegio isto ædes Divino cultui dicatas; licet autem concedatur, quod secundario humanæ quoque fragilitati, aut casuali crimini voluerint consultum, Adversarii tamen nondum probarent, nec probare poterunt, homicidia, quæ in Ecclesiis, & cœmeteriis patrantur, nulli fragilitati, sed purissimæ semper, & summæ nequitiae suum ortum debere. Denique ipsa jura, quibus constituta est immunitas, planum reddunt, asyla etiam illis, qui culpa, dolore deliquerant, concessa fuisse.

11 Quod autem tertio dicunt, in concursu boni publici, & privati, huic illud præferendum esse, negatur suppositum, immunita-

tem istam favorem ipsorum homicidarum esse, cum, uti jam sæpius insinuavimus, augendo honori sacrarum ædium donata fuerit. quòd si igitur subinde precibus, lachrymis, ac intercessionibus uxoris, filiorum, ac cognatorum permoti Principes, delictum condonent, cur hanc ipsam donationem pœnæ ordinariæ denegare volumus reverentiæ Religionis, & Christianæ Religionis æstimationi?

Nec quartò ad rem facit, ¹² quòd una per orbem sit universalis Ecclesia ex multis particulis conflata, unde sequi videtur, injuriam facere omnibus, qui vel unicam violat. Ex hoc enim fundamento sequitur ex asylo tanquã reum criminis læsæ Majestatis posse extrahi, qui mortem non suo, sed extraneo cuidam Principi machinatus fuit. Contra argumentum Clement. *Pastoralis* 2. de sententia, & re judicata. declarantis, ad crimen læsæ Majestatis, ut immunitate privantis, necessarium esse, ut aliquis tali Principi, vel ratione originis, vel domicilii subjectus fuerit. Sequela verò prob. Sicuti omnes Ecclesiæ particulares

conficiunt unam totalem, & universalem, sic pariter omnes Principes particulares constituunt unum universalem: ergo si violans unam Ecclesiam, hoc ipso violavit omnes, etiam, qui violavit Principem extraneum, violaverit suum, consequenter non gaudebit immunitate. Secundo singulæ Ecclesiæ particulares non faciunt unam universalem, neque ex voluntate ædificantium, neque ex communi persuasione fidelium, neque ex ulla juriam dispositione, sed est merum quoddam universale obiectivum in mente adversariorum existens: ergo nondum fuit sufficienter ostensum ex hac unitate latissime, & objective, in intellectu duntaxat aliquorum existente, legitime concludi, omnes particulares Ecclesias, violata etiam unica, suum privilegium amisisse, cum privatorum arbitraria apprehensio, nullo jure, aut communi persuasione fundata, nequeat aliquem privare favore, à Principibus sibi concesso. Evincunt itaque quidem adversariorum rationes, ob crimen in cœmeterio commissum promeritum fuisse occiso-

rem, ut immunitate aliarum Ecclesiarum non amplius gaudeat, posito, quòd hoc privilegium in favorem illius fuisset concessum: cum autem hoc sit falsum, ac favor iste Ecclesiis, quæ sunt innocentes, fuerit attributus, ideo non probatur, quòd istæ hoc suum privilegium amiserint.

Cum permanentiam illius verosimilem sequentes rationes efficiant. *vi capit. fin. citati*, qui in Ecclesiis, & harum cœmeteriis committere homicidia non verentur, ideo non gaudeant hoc privilegio: *quia nisi per Ecclesiam, ad quam fugerint, crederent se defendi, nullatenus fuerant commissuri*; seu, quod idem sonat, quia scilicet vident, quòd committendo in hoc loco homicidium, ob immunitatem sint tuti à vi externa, eò quòd gaudeant immunitate loci, in quò peccant, neutiquam commissuri homicidium, nisi ex loco, ubi peccant, viderent se immunes fore: ergo in dicto Capitulo solummodo privantur immunitate illius loci, in quò peccant. Prob. conseq. ex eo, quòd reliquæ Ecclesiæ adhuc gaudeant privilegio

gio præstandi immunitatem tali occisori, non accrescit occisori major spes, aut securitas suæ impunitatis: ergo si illæ Ecclesiæ privantur immunitate, quæ hac retentâ præberent majorem audaciam committendi sceleris, non privantur à dicto Capitulo reliquæ Ecclesiæ.

Confirmatur: Potissima pars illorum, qui sunt prioris sententiæ, affirmant, peccantem in una Ecclesia perdere simul jus asyli in alia non immediatè ac formaliter per ipsam dispositionem legis, sed ob hujus quandam extensionem; sed male fit in hoc casu extensio à casu expresso ad casum non expressum. Prob. min. ibi ad summum fit extensio, ubi ratio legis est generalior, & latior: sed ratio ibidem data non est generalior, & latior, pugnans pro amissione immunitatis aliarum Ecclesiarum: ergo &c. minor constat ex immediatè dictis: ratio enim est, cur privetur asylò Ecclesiæ, quam violavit, quia aliàs ratione impunitatis haberetur summum illicium ad peccandum: sed hæc ratio non pugnat pro aliis Ecclesiis, cùm eadem

difficultas sit, ut ex una Ecclesia confugiat incolumis ad aliam, quæ reperitur, cùm ex platea publica, vel proxima domo recurrit ad aliam Ecclesiam: ergo &c.

Confirmatur 2. Quando extensio privilegii favorabilis conducit ad finem intentum, juxta Authores, est illud extendibile ultrà casum expressum: ergo à contrario, si favorabile privilegium est concessum pluribus, & uni expressè est denegandum, non debet privatio illius extendi ad plura alia loca, quibus aliàs concessum fuit, & hinc & nunc non fuit expressè ablatum: atqui immunitas fuit concessa omnibus Ecclesiis, violatæ verò adempta, non autem explicitè, & clarè aliis Ecclesiis: ergo his non debet adimi.

Prob. 2. Causa, & ratio movens alicujus dispositionis, atque legis dicitur anima legis: ergo in quibus non reperitur eadem ratio alicujus dispositionis, pro illis etiam non fuit lata talis lex: sed in aliis Ecclesiis non violatis non reperitur causa, & ratio movens ad illam dispositionem: ergo &c. Prob. min. Ratio, & causa movens fuit, ne tales, dum

vident se impunè peccare, alliciantur ad homicidium: sed hæc ratio non pugnat pro aliis Ecclesiis. Prob. min. non apparet, quomodo major sit impunitas, si v. g. ex cœmeterio huius Ecclesiæ Parochialis aliquis fugiat ad nostrum Collegium, quàm si è proxima domo ad hoc se conferat: ergo non adest eadem ratio movens.

Prob. 3. Juxta Marium Italum *l. 1. de immunitate. c. 2. n. 11.* Barbosam *Jur. Eccl. l. 3. c. 3. n. 90.* Decianum *l. 3. Consil. 80. à. n. 19.* & alios præcipui nominis Doctores in expositione jurium immunitatem spectantium à verborum propria, & communi usi verborum recepta significatione non facile est recedendum; in dubio autem sacris, & Religiosis locis, atque ad hæc confugientibus favorabilis, ac benigna interpretatio facienda est: ergo &c. Confirmatur: Licet in odiosis nomine Ecclesiæ veniat interiùs duntaxat ejus corpus, in materia tamen immunitatis, ipsi loco sacro favorabili, accipitur nomen Ecclesiæ latius, prout etiam exteriorem fabricam complectitur: ergo etiam in præsentī casu am-

pliari potiùs debet, quàm restringi.

Prob. 4. Antiqui juris regulâ confugientes ad Ecclesiam defendebantur omnes: ergo si aliquis tueatur, perpetratorè certi criminis, eò quòd hoc de jure novo de facto sit exceptum, non defendi ab Ecclesia, ad quam confugit, debet ille probare, quòd hoc crimen sit exceptum: ergo onus probandi eidem incumbit: ergo si exceptionem non plenè probaverit, confugiens vincet per ea, quæ argumento *c. finali de restitut. spol. in 6. l. ab ea parte 5. ff. de probatione.* tradit Felinus *in c. quoniam 5. ut lite non contestat. n. 4.*

Manet igitur ex hætenus disputatis, si non absolutè probabiliùs, prout nobis videtur, ad minimum æquè probabile, & consequenter dubium esse, Titium nostrum licet in alieno cœmeterio alium occiderit, privilegium immunitatis apud memoratos Patres neutiquam amisisse: Cui dubio aliud quoddam non minus accedit, quod de hoc ipso facto, utrùm inter, vel extra cœmeterium contigerit: ipsorum testium suffragia varia-

ve-

verint, aliis extrà, aliis intra cœmeterium inflictum lethale vulnus fuisse affirmantibus. Cùm igitur possidens semper sit melioris conditionis, & nisi contrarium sufficienter probatum fuerit, in sua possessione retinendus, etiam noster Titius immunitate sua non erit spoliandus.

Monitum autem lectorem volumus, quæ hæcenus dicta fuerunt, pro suo fundamento Constitutionem Gregorianam, super hac re editam, pro fundamento habuisse. Modò autem hæc controversia videtur decisa à Benedicto Papa XIV. per Bullã año Millesimo. septingentesimo, vigesimo quinto editam, quæ sic incipit: *Ex quo Divina disponente clementia*: in hac statuit etiam eos, qui stantes extra Ecclesiam, aut cœmeterium, occidunt stantes intrà Ecclesiam, aut cœmeterium, aut iis membra mutilant, non illius tantùm Ecclesiæ, quam violârunt, sed cujuscunque alterius immunitate gaudere neque posse, aut debere.

§. II.

Resolvitur secundum
Quæsitum.

*Cuinam jus decidendi hoc dubium
competat?*

Controversia itaque eò de-¹⁵volvitur, quidnam in tali dubio faciendum, & quisnam legitimus hujus litis arbiter constituendus sit, ut decidatur, crimen à Titio commissum ejusmodi esse, ut asylo apud aliam Ecclesiam gaudere nequeat.

Et primò quidem in casu, quo dubitatur, an crimen sit exceptum, vel non, controversia potest esse, an hæc causa à Laico, vel aliquo Ecclesiastico judice sit decidenda. Cognitionem illius soli Ecclesiastico competere defendunt Boërius *Decis.* 109. Guttierrez *pract.* l. 3. q. 1. num. 5. Farinacius *prax. criminal.* q. 28. n. 76. Guazing *defens. reor.* 1. cap. 31. n. 3. Augustinus Barbosa *Jur. Eccles.* l. 2. c. 3. n. 155. & alii plerique orthodoxi contra nonnullos acatholicos Jurisconsultos, fundant se orthodoxi Doctores in textibus Juris Can. *Metuentes* 32. Can. *ad Episcopum* 17. q. 4. & argu. cap. *Si judex*. Deinde Gregorius XIV. in sua Bulla expressè hæc habet: *nec inde ex-*

H h h

tra-

erahi (confugientes scilicet ad
 asylum) curiaque seculari praedictae
 consignari, nec tradi possint nisi co-
 gnito (quod bene notandum)
 prius per Episcopum, seu ab eo depu-
 ratum, an ipsi verè crimina superius
 expressa commiserint. Probatul-
 terius ratione: Ecclesiarum co-
 gnito competit soli iudici Eccle-
 siastico. argum. cap. *decernimus.*
c. quarto. c. tuam. cap. Si iudex.
 Sed hæc est cognitio alicujus
 causæ Ecclesiasticæ: ergo soli ju-
 dici Ecclesiastico competit. Pro-
 bat. min. privilegium immunita-
 tis est aliquod jus annexum spi-
 ritualibus, sacris scilicet locis, in
 quorum honorem, & reveren-
 tiam est introductum: sed jus
 annexum spiritualibus est causa
 Ecclesiastica: ergo præsens cau-
 sa est Ecclesiastica.

16 Per hoc tamen neququam
 donegamus sæculari iudici ali-
 qualem cognitionem per viam
 facti pro informatione; hinc in
 præsentī casu potuit excipere te-
 stimonia illorum, quorum aliqui
 asserunt, contigisse vulnera-
 tionem intra, alii verò extra cœ-
 meterium, ut sciri possit, an cri-
 mini à reo commissio qualitas adi-
 mens immunitatem competat.

17 Quibus autem ex personis Ec-
 clesiasticis cognitio de criminis
 exceptione competat, sat clarè
 indicavit prælaudatus Gregori-
 us in sua Bulla verbis antè cita-
 tis; nec inde extrahi, aut curia sæ-
 culari tradi possit, nisi cognitio prius
 per Episcopum, seu ab eo deputatum
 &c. Idem declaratur Can. ad E-
 pisc. 11. Can. *Siquis contumax* 17.
 q. 4. quam ipsam Potestatem
 absque noxo quodam mandato
 competere Vicario Generali,
 item Capitulo *Sede vacante* com-
 munitè defendunt Doctores.

Ex quibus omnibus colligitur,
 in casu, quo dubium fuerit, an
 Titius crimen exceptum comi-
 serit, recurrendum fuisse ad E-
 piscopum, vel ejus Vicarium,
 nec ante hujus permissionem ex-
 tradendum Titium nolentem,
 & de vita, aut læsione corporis
 periclitantem, cum ipsius Epi-
 scopi sit decidere, an crimen sit
 exceptum, nec ne?

18 Confirmatur: Quamdiu du-
 bium est, an crimen sit exce-
 ptum, vel non, non constat de-
 linquentem esse immunitate pri-
 vatum: ergo gaudet immunita-
 te; hæc enim omnes gaudent ex-
 tra casus exceptos: ergo proba-
 ri

ri debet, casum commissum fuisse exceptum. Ita Decianus, Palao, & alii. Et hæc quidem probatio non debet esse tantum conjecturalis, sed debet esse plena; ad tollendum etenim ab aliquo jus quæsitum, & irreparabiliter, hæc requiritur.

19 Quinimò, licet certum fuisset, perpetratum crimen fuisse exceptum, neque tunc sine ejusdem Episcopi concessione sæcularibus extradere potuerunt: ita enim iu præfata Bulla Pontifex loquitur: *Decernimus, & declaramus, ut curiæ seculares ejusque judices, & officiales, ab Ecclesiis, Monasteriis, locisque sacris prædictis laicum aliquem, ut præfertur, delinquentem, in nullo ex casibus supra dictis (sine expressa licentia Episcopi, vel ejus officialis) ad quos solos, & non ad alios, Episcopis inferiores, etiamsi alii Ordinarii sint, aut nullius Diocesis, aut Conservatores ab hac Sede specialiter, vel generaliter deputati, prædictam licentiam dandi facultas pertineat, extrahere nequeant.*

20 Neque dicas, dispositionem istam Pontificiam concernere solum subjectos Episcopis; cum autem memorati Patres fuerint

exempti à jurisdictione Episcopi, eosdem non obligatos fuisse, ut ad Episcopum recurrent: non, inquam, hoc dicas, audi enim Pontificem ulteriùs loquentem: *Occurrente autem casu in loco exempto, & nullius Diocesis, tunc ad Episcopum viciniorem devolvatur hæc cognitio, & non ad alios, ut capere, extrahere, aut incarcerare non possint, nisi eo casu, quo ipse Episcopus, & dicta persona Ecclesiastica requisita, illos in delictis superius expressis culpabiles eradere &c. recusarint.* Quod ipsum agnovit in suo Jure Canonico P. Ferdinandus Krimmer Tomo 3. in 3. l. decret. ac titulum 49. num. 3766.

Æquè parùm satisfaciet, qui²¹ asserit sufficere licentiam, vel consensum tacitum Episcopi, aut Officialis, item præsumptum: potuisse autem in memorato casu præsumi consensum Episcopi. Respond. enim cum prælaudato Krimmero, necessarium esse, etiam casu, quo certum sit, crimen exceptum commissum fuisse, expressum consensum Episcopi: verba etenim Bullæ ita sonant; *Sine expressa licentia Episcopi, vel ejus Officialis*: ergo multò

magis cognitio hujus causæ, quæ apparebat dubia, & extraditio, requirebat expressâ licentiâ Episcopi. Adde, quòd etiam requiratur, ut extraditio fiat cum interventu personæ Ecclesiasticæ, ab Episcopo auctoritatem habentis, & non ab alio: sed sine expressâ licentiâ Episcopi non potest fieri traditio cum interventu personæ Ecclesiasticæ, ad Episcopo auctoritatem habentis; ergo &c.

22 Opponet autem aliquis, hæc omnia à se ut verissima concedi, si traditus potestati sæculari de vita, aut membris, ob perpetratum scelus periclitetur: manere tamen interea quæstionem, an hæc etiam procedant in casu, tam criminis excepti, quàm non excepti, si priùs à iudice data fuerit idonea cautio, vel saltem juratoria de impunitate delinquentis, quoad vitam, membra, & omnem pœnam corporalem? In resolutione hujus dubii variant Authores; qui negant licitam esse traditionem absque requisito consensu Episcopi, fundant se in dispositione citatæ sæpius Bullæ Gregorianæ, quæ absque limitatione, distinctione, & ullo facto discrimine, sæculari

curiæ universim adimit facultatem eximendi aliquem sine expressâ licentiâ Episcopi, & sine interventu personæ Ecclesiasticæ, ab eo auctoritatem habentis. Neque obesse huic suæ opinioni judicant, cap. *Inter alia*. hoc titulo, ubi dicitur, quòd criminis non exempti reus, si fuerit liber, & non servus, ex Ecclesia ad mortem, vel ad aliam pœnam corporalem extrahi non possit, sit tamen aliter legitimè puniendus: Item dicitur, quòd servus domino, postquam hic Clericis juramentum præstiterit de impunitate illius, sit restituendus; respondet etiam ad hoc Capitulum, ejusdem dispositionem abolitam esse jure novo, per Bullam Gregorii XIV. eò quòd laudatus modò Pontifex hac sua dispositione duo primariò intenderit, determinare scilicet casus, quinam in posterum sint futuri excepti, & non gaudentes asylo, & quinam non sinè futuri excepti. 2. dò. Reformare modum, quo tales non gaudentes privilegiò, usque ad illud tempus, vel à sæculari potestate extrahi, vel eidem à Clericis extraditi fuerint, quod clarissimè patet leg-

genti initium Bullæ. Quod ipsum reponunt adversariis afferentibus pro se *cap. id institutum. 17. q. 4.* ubi dicuntur rei non aliter consignandi potestati seculari, nisi ad Evangelia datis Sacramentis, de morte, & debilitate, & omni poenarum genere sint securi; ex quo per contrarium sensum videtur sequi, hæc licere, si talis promissio de impunitate facta fuerit. Pariter enim ad hoc respondetur, etiam hanc jurisdictionem à Bulla Gregoriana revocatam fuisse.

Si dicas: licet talis iudex, nolentem extrahens, cum consensu tamen Superioris Ecclesiastici, sine licentia Episcopi, vim reo inferat, non tamen illam inferet Ecclesiæ, cui directè, & non ipsi delinquenti, hoc privilegium fuit concessum: ergo potest ipsi iudici talis potestas ab Ecclesia illa concedi. Prob. conseq. Ecclesia non tenetur à reo consensum expectare, si iudicet, vel prudenter censeat, nullam inde injuriam, aut damnum reo timeri posse: ergo &c. Si, inquam, hoc dicas, respondebunt negando antec. vel enim crimen est exceptum, & Ecclesia habe-

bit jus tamdiu detinendi reum, quamdiu non fuerunt observatæ circumstantiæ, à Gregorio præscriptæ, quas inter est consensus Episcopi expressus: atqui hæc necdum adest, licet Ecclesia illa particularis consenserit: ergo illa Ecclesia habet adhuc jus defendendi illum reum, cui juri ipsa non potest resignare, prout Clericus non potest efficaciter cedere privilegio fori. Juri etenim, & favori publico, privatorum pactionibus, & cessionibus renunciari nequit. argum. *c. si diligenti. 12. de foro competenti*: ergo Ecclesiæ jus adhuc violabitur, si renitentem extrahant. Si crimen non sit exceptum, etsi cautio fuerit data, extractio tamen fiet contra formam, à Gregorio XIV. præscriptam, quam unam esse duntaxat observandam statuit, adjiciens, extra casus, ibidem exceptos, nullam reorum de loco sacro extractionem fieri debere, aut posse. Dein, si crimen non sit exceptum, delinquens gaudet immunitate, quæ in eo consistit, ut non possit invitus ab Ecclesia extrahi, & judicari. Ita sentiunt Abbas in *cap. inter alia*

de immunitate Ecclesiæ. Farina-
cius, Palao,

23 Dicit aliquis ulterius: quæ
modò diximus, esse contra com-
munem, & ordinariam praxim
omnium Ecclesiarum, cum pas-
sim consuetudo vigeat extraden-
di potestati sæculari reos, casu
quo istis fuerit impunitas promi-
ssa circa vitam, & membra, nec
alia timenda sit poena, nisi pecu-
niaria, fustigationis, aut incarcere-
rationis: ergo &c. Resp. aliud
esse, quod præstita hac securita-
te passim ipsi rei bonis verbis per-
suadeantur, ut ipsimet sponte sua,
& volentes exeant, & config-
nent se in manus sæculares, &
aliud esse, quòd passim nolentes
extradantur: etsi alicubi hoc con-
tigerit, error fuit commissus;
falterem, si ibidem memorata Bul-
la recepta fuerit, nec receptæ
per requisitis modis, ac tempo-
re introductam consuetudinem
contrariam in hoc fuerit dero-
gatum, quæ tamen derogatio,
ut per consuetudinem legitimè
introducendam facta juxta Delbe-
ne in dubio non præsumitur; est
enim quid facti ratione introdu-
ctionis: factum autem regulari-
ter non præsumitur, nisi demon-

stretur, aut probetur, cui, uti a-
liis Bullis, etiam derogari posse P.
Wiestner cum aliis Canonistis
judicat, uti etiam Laymanus *lib.*
4. de tract. cap. 30. n. 2. Gacazi-
nus *defens. reor. 1. cap. 34. num. 1.*
Barbosa *c. 3. &c.* cui enim dero-
gari potest per legem, etiam po-
test per consuetudinem, cui vis
legis adstruitur.

Hinc in præsentī casu ante
omnia dispiciendum, an in illa
Dioecesi memorata Bulla recepta
fuerit, an receptæ per frequen-
tatos sæpius, & præscripto tem-
pore actus contrarios non fuerit
derogatum: quòd si nullum ex
istis eisdem excuset, errorem ali-
quem ex ignorantia commissum
fuisse, constat, si, quæ hæctenus
attulimus, non fuissent obser-
vata.

Ut igitur omnia in compendi-
um redigamus, judico, probabi-
lius esse, Titium nostrum gavi-
sum fuisse jure asyli. 2 dò. etsi
non gavisus fuisset, non tamen
fuisse extradendum ob disposi-
tionem Bullæ Gregorii XIV. eti-
amsi promissio fuerit facta, eun-
dem in vita, & membris nullum
detrimentum accepturum,